

ut, dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet. Hoc pactum, uti notat Pontifex in cap. reprobatur a lege civili Romana, ut patet ex *L. Pactum C. de Collationibus*. Jamvero Pontifex quæstioni respondet, filiam teneri ex juramento, si eidem pacto juramentum adjectum fuerit. Ergo per se irritatio hujus pacti, facta a lege civili, mulierem eximit a qualibet obligatione, et non obstante pacto, ad bona paterna regressum petere potest. Ergo jus canonicum vim legis civilis etiam quoad forum internum recognoscit. Quid vero dicendum sit de juramento, ejusque observantia in casu, explicamus in Lib. II. in tit. XXIV. de Jurejurando.

9. Tandem occasione *c. 2. h. t.* quæritur utrum pactum invalidum per consensum superiorum validum reddatur. Cit. Caput ita sumatur 'Conventio invalida per consensum superioris validatur'. Quare in præsentī re habemus canonicam regulam. Hanc vero regulam ita explicant Doctores, inter quos *Layman ad c. 2. h. t.* Videlicet si invaliditas procedat ex ipso jure naturali, ita nempe ut pactum vel etiam alius actus nullo modo, nec ipso jure naturali inspecto, sit validus, hac in hypothesi neque a Supremo principe in societate potest convalidari. Confirmari enim non potest quod nullo modo est *L. Duo sunt Titii ff. de testamentar. tutela*. Si autem pactum vel actus jure naturali consistant, et non valeant solummodo vi legis positivæ humanæ, princeps in societate potest consensu suo defectum auferre, et pactum vel actum validum reddere. Hoc in sensu explicandum est *c. 2. h. t.* cui plene concordat *c. 1. de transact.*

#### TITULUS XXXVI.

### De Transactionibus.

1. Transactio est unus ex modis quibus causa litigiosa finitur: verum stricto et proprio sensu sumpta ceu medium juridicum peculiare quæstionum finiendarum definitur in *L. 1. ff. h. t.* 'rei dubiæ et litis incertæ nec finitæ, conventa et non gratuita decisio'. Explicanda. Transactio est decisio *rei dubiæ*. Hæc verba duplicem vim habent, 1<sup>o</sup>. nempe posse transigi in re dubia nondum incepto iudicio; dum scilicet timor est actualis litis futuræ. 2<sup>o</sup>. Objectum transactionis dubium aliquod offerre debere; nam de re certa transigi nequit; et qui certo sciens rem aliquam sibi non spectare transegit, super ea aliquid recipiens, adstringitur etiam in foro ex-

terno onere restitutionis *L. 6. § 1. ff. de Condit. indebiti* et glossa in *c. 7. h. t. v. dato* a Doctoribus recepta. Quoad vero forum internum, restitutionem faciendam esse patet ex eo, quod, qui recepit aliquid in casu, illud recepit et retinet absque titulo. — Dicitur dein '*et litis incertæ et non finitæ*'; quia lite finita per sententiam definitivam iudicis, quæ transiit in rem judicatam, transigi amplius non potest. Excipitur tamen casus quo timeatur prudenter concessio restitutionis in integrum. — *Conventa*. Transactio enim ex partium conventionione procedit, et enumeratur inter contractus innominatos bilaterales, quo nempe aliquid datur vel remittitur, ut alia pars vicissim aliquid det vel remittat ad quæstionem finiendam. Ex hac proprietate transactionis descendit non iudicem sed partes eandem perficere. Et sane officium iudicis est quæstiones dirimere decernendo cuinam parti competat bonum jus, non imponere transactionem iisdem. Utique tribunalia suprema, prout in quæstionibus quoad meritum in ditione temporali S. Sedis erat tribunal s. Rotæ, aliquando rescribere possunt 'placere de concordia'. At id rarissime accidit, et non nisi in quæstionibus præsertim fideicommissariis quæ implicabantur magnis difficultatibus et obscuritatibus. Quo insuper in casu non inicitur una transactio, sed potius a iudice ipso applicatur canon ille, ut nempe cum causa neque probabilis est pro utraque parte litigante, officium iudicis sit dividere et adsignare litigantibus partem rei divisibilis, aut rem indivisibilem eisdem tradere ut in solidum ea fruantur. — Tandem '*non gratuita decisio*'. Nam in transactione aliquid debet dari vel promitti, aliquid retineri; secus enim esset cessio, renunciatio vel donatio *L. 38. c. h. t.* Quæ ita se habet 'transactio nullo dato vel retento seu promisso, minime procedit'. Hinc adagium forense, ut nempe in transactionibus debeat adesse aliquid hinc inde remissum.

2. De divisione transactionis. Transactio alia est universalis, alia generalis, alia specialis. Universalis respicit omnes causas quæ intentatæ sunt, vel prudenter timetur ne intententur, quamvis sint diversi generis idest non ejusdem tituli sed diversi. Generalis seu minus universalis ea est quæ complectitur causas ejusdem generis licet inter se distinctas, ex. gr. si transigatur in omnibus quæstionibus, quæ quandam aditam hæreditatem respiciunt. Specialis transactio locum habet cum controversitur de aliqua re determinata, deque determinato titulo quæstionis. Transactio vero si ei

adjiciatur vel jusjuramen vel pœna, dicitur jurata vel pœnalis. Transactio tandem potest esse vel realis vel personalis; prout nempe pactum transactionis concipiatur in rem vel in personam transigentis *L. 7. ff. de Pactis*. Porro transactionis personalis favor non egreditur personam transigentis; transactio vero realis etiam hæredibus et successoribus prodest. Idem dicendum de onere quod ex transactione resultat.

3. Quinam possunt transigere? — Cum gratuita non sit transactio, sed alienationem dicat, ii solum poterunt transigere qui domini sunt et habent liberam administrationem et dispositionem bonorum suorum. Hinc pupilli, minores, prodigi sine auctoritate tutoris vel consensu curatoris transigere non possunt. Sic nec Prælati super bonis monasterii sui potest transigere nisi de consensu Capituli *c. 3. h. t.* Nec administratores rerum ecclesiasticarum et beneficiorum sine auctoritate Superioris, nempe Episcopi aut Archiepiscopi in Episcopi defectu *c. 2. h. t.* Hæc locum habebant jure decretalium. Nam ex Const. Pauli II. quæ incipit *Ambitiosæ*, quæque legitur in *c. un. de Rebus Eccles. non alienan. inter Extrav. comm.* res immutata est. In ea enim Constit. præcipitur, alienationes bonorum ecclesiasticorum immobilium aut rerum mobilium pretiosarum non valere si fiant inconsulto Rom. Pontifice. Ergo a pari transactiones super eisdem bonis non valent absque Confirmatione Rom. Pontificis. Non idem dicendum de rebus mobilibus non pretiosis, aut de iis quæ servando servari non possunt. Et enim in hisce rebus transigi potest absque beneplacito apostolico. Istæ namque res absque eodem beneplacito alienari possunt. Pariter cum ex sensu Auctorum et praxi recepta res immobiles exigui valoris, non excedentes nempe pretium 40 aut 50 scutat. roman. non comprehendantur sub sanctione Constit. *Ambitiosæ* Pauli II., sed remaneant sub dispositione Canonis *Terrulas 53. c. 12. q. 2.* ita nempe ut possint alienari auctoritate Episcopi, inconsulto Rom. Pont., hinc sequitur fieri etiam posse super eisdem rebus immobilibus exigui valoris transactionem ex sola auctoritate Episcopi. Canon. cit. qui est Conc. Augustensis ita se habet 'terrulas aut vineolas exiguas Ecclesiæ minus utiles, aut longe positas parvas, Episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem.'

4. Si transactio celebretur debitis solemnitatibus idest cum auctoritate superioris, obligat ipsam ecclesiam et successores transi-

gentis; secus vero minime. At hoc non impedit quominus rector Beneficii aut Ecclesiæ possit de juribus Ecclesiæ transigere propria auctoritate in sui præjudicium. Transactio enim in casu si fiat obligabit ipsum transigentem quoadusque Ecclesiam aut beneficium possidebit. Quod innuit Pontifex in *c. 8. h. t.* ubi adnotat talem transactionem videri potius factam inter personas, quam inter Ecclesias, nec pacta inter alios acta aliis obesse posse. Confirmatur ex *c. 5. h. t.*

5. Sed quoniam de Superioris approbatione loquimur, inquirendum est quomodo concilietur dispositio *capitis 8. h. t.* cum jure illius temporis quoad alienationes rerum ecclesiasticarum et quoad transactiones super iisdem. Caput 8. auctorem habet Alexandrum III. et per consequens præcedit dispositionem Const. *Ambitiosæ* quæ est Pauli II. Quæque primitus in alienationibus bonorum Ecclesiæ beneplacitum apostolicum necessarium esse decrevit. Quomodo ergo Alexander in *c. 8.* potuit reprobare transactionem, quæ inita fuit absque auctoritate Rom. Pontificis, cum illis temporibus ad alienationes rerum Ecclesiasticarum faciendas hæc solemnitas de jure nondum requireretur? Ipse vero Pontifex in casu agebat partes judicis, qui applicabat legem facto quod acciderat. Difficultas augetur ex *c. 2.* in quo Alexander statuit, transactionem valere super decimis si facta fuerit cum assensu idest cum auctoritate Episcopi. Quod principium confirmatur *c. 5. h. t.* Quomodo ergo Alexander in *c. 8.* non requirit simpliciter auctoritatem superioris, sed confirmationem S. Sedis ad valorem transactionis?

6. Variæ dantur opiniones. Dicit forsan posset monasterium fuisse exemptum et Rom. Pontifici immediate subjectum; ac proinde Roman. Pontificem fuisse Superiorem, cui spectabat jus confirmandi transactionem monasterii. Cui opinioni videtur congruere summa Capituli, quæ ita se habet 'transactio facta de rebus Ecclesiæ per Prælatum sine Superioris consensu non obligat successorem'. Verum non clare exprimitur agi in Capite de monasterio exempto, et exemptionem fuisse causam cur debuisset a S. Sede approbari transactio. *Suarez in L. 4. de Decimis c. 57.* animadvertit satis non fuisse auctoritatem Episcopi, et requisitam fuisse auctoritatem Pontificis, quia agebatur de transactione cum laicis. At responsio hæc excluditur ab ipsa specie Capituli; nam transactio revera facta est inter Monachos et Sacerdotem rectorem

Ecclesiae s. M. laici autem non erant nisi coloni Monachorum. Hinc transactio eos directe non respiciebat.

7. Quare potius tenenda videtur alia sententia. Sciendum est a praedecessoribus Alex. III. Monachis Cisterciensibus, templariis et hospitalaribus concessum fuisse privilegium non persolvendi decimas de propriis laboribus aut de praediis ex cultis sumptibus propriis, ceteris vero Religiosis concessum fuisse privilegium non solvendi decimas de suis novalibus, quae propriis manibus vel sumptibus excolebant nec non de nutrimentis animalium et de fructibus horticulorum suorum. Remanebat vero obligatio religiosorum solvendi decimas quoad alias res. Haec omnia referuntur ab ipso Alex. III. in *c. 10. de Decimis*. Vi hujus privilegii contendebant Monachi Cistercienses Monasterii majoris, se suosque colonos eximi ab obligatione solvendi decimas in locis subjectis Ecclesiae Parochiali S. Mariae. Contradicente rectore hujus Ecclesiae, inita est transactio de qua agitur in capit. nostro, qua cautum fuit ut de duabus carruatis terrae tertia tantum pars decimarum solveretur. Quare transactio eo directa est ut fieret extensio privilegii monachorum; idest per transactionem inductum est, ut in terris subjectis parochiae, pro monachis non solum, sed etiam pro eorum colonis servaretur privilegium exemptionis ab onere solvendi integras decimas, sed solvi deberet solummodo pars decimarum. At privilegium non solvendi decimas Religiosis competens a solo Rom. Pontifice concessum fuit *cc. 10. et 12. de Decimis et cc. 6. 15. et 31. de Privil.* Jamvero cum privilegium sit res odiosa et exorbitans a jure, pari gressu procedunt tum ipsa concessio prima privilegii, tum extensio ejusdem ad casus non comprehensos in concessione; idest etiam extensio privilegii ut valeat roborari debet a Rom. Pontifice. Cum ergo ageretur in casu nostro de extensione privilegii, merito Alexander respondit transactionem in casu non obligare Ecclesiam parochialem nisi probaretur eam fuisse confirmatam a Rom. Pontifice. Quam explicationem insinuat ipse Pontifex in textu originali suae Decretalis scribens 'nisi privilegium Apostolicae Sedis sibi super hoc indultum coram vobis praefati monachi palam prodixerint'. Ergo concludendum est, Alexandrum non contradixisse sibi et juri sui temporis.

8. De objecto transactionis, seu de rebus super quibus fieri potest, vel non, transactio. — Ostiensis in summa hujus tituli respondet: Generatim loquendo de omnibus rebus dubiis et de litibus

incertis possumus transigere, exceptis iis quae ex jure prohibentur *c. ult. h. t.* Ex quo illico sequitur, transactionem esse nullam, si juri naturali aut positivo divino vulnus inferat. Pariter inter privatas personas transigi non potest in iis quae sunt publici juris; pacto enim privatorum publico juri non derogatur *c. 12. de Foro competentis*. Unde Clericus per transactionem non potest sibi constituere judicem laicum, quia privilegium fori toti Collegio ecclesiastico fuit indultum eod. c.

9. Ut melius determinetur objectum transactionis, varia quaestionum capita expendemus. Et 1<sup>o</sup>. occasione *c. ult. h. t.* quaerimus: utrum dari possit transactio super matrimonio? Quaestiones quae matrimonium attingunt, possunt respicere vel existentiam aut non-existentiam vinculi conjugalis, vel 2<sup>o</sup>. jura et officia quae vinculum consequuntur, nempe individuum vitae consuetudinem, thorum et cohabitationem, vel 3<sup>o</sup>. secundaria jura et accessoria matrimonii, scilicet dotem, patrimonium commune etc., vel 4<sup>o</sup>. tractatus praevios matrimonio et sponsalia inita ad praeparandum matrimonium. Quoad primum caput quaestionum transigi non potest; vel enim extat vinculum ob matrimonium valide contractum, vel non extat. Si primum, non posset per transactionem idest per remissionem juris alterutrius conjugis vinculum immutari aut excludi; si secundum, non posset per pactum privatum reddi validum matrimonium, quod fuerat in celebratione invalidum. Et hoc in sensu accipi debet *c. ult. h. t.* Quod si vero a partibus cognoscatur, nullum fuisse matrimonium, possent amicabiliter convenire de novo contractu conjugali rite ineundo. Habere autem locum potest transactio circa alia tria capita. Sic ex. gr. si contracta sponsalia ab una parte impugnentur, ab alia vero asserantur, possunt partes transigere, ut vel roborentur vel mutuo consensu dissolvantur *c. 1. de Reg. jur.* quod ita se habet 'omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur'. Quod de matrimonii vinculo diximus etiam applicandum est religiosae professioni, ut scilicet transactio admitti nequeat sive quae professionem nullam reddat validam, sive quae infirmet eam quae valida est *c. 31. de Regul. et transeunt. et sess. 25. de Regul. cap. 16. et seqq. usque ad 19.*

10. Quaeritur 2<sup>o</sup>. an liceat transigere super rebus relictis in testamento? Ex *L. 6. ff. de Transact.* non aliter transigi potest quam apertis et cognitis tabulis testamenti. Quae inspectio non requiritur ut fiat propriis oculis, sed sufficit ut voluntas testatoris a par-

tibus transigentibus cognoscatur. Nam qui scit aliquam rem, in legibus eam inspicere dicitur; inspicit enim per intelligentiam *L. 17. ff. de Legibus*. Ratio ob quam prohibetur transactio, tabulis non inspectis, est, ne facile eludantur ultimæ morientium voluntates, et ne homines imbecilliores fraudibus et captionibus hæredum decipiantur, ita ut modico statim recepto, ingenti renuncient commodo et utilitati.

11. Rejicitur etiam tanquam nulla transactio quæ facta fuerit de alimentis in testamento vel in codicillis relictis, nisi causa cognita et interveniente judicis decreto. Adest textus expressus *L. 8. ff. de transact.* Valet vero transactio aliter facta si in evidentem utilitatem alimentarii vergat ead. *L. § 6.* Pariter valet transactio si de præteritis alimentis sermo sit, quæ soluta non sunt, et causam quæstioni præbent *L. de alimentis Cod. h. t.* Et ratio est quia in hac hypothesis cessat causa prohibitionis, quæ est periculum vitæ ex defectu alimentorum. Insuper absque judicis auctoritate inita valet transactio de alimentis quæ vel inter vivos concessa sunt legitime vel quæ sibi quis per contractum constituit.

12. Doctores quærunt, utrum possit fieri transactio circa crimina. Non loquimur de effectibus civilibus, idest de damnis illatis ex crimine. Nemo enim denegabit, fieri de hisce posse transactionem inter lædentem vel ejus familiam et læsum vel, eo deficiente, ejus familiam. Hæc enim quæstio merito æquiparatur reliquis causis civilibus, in quibus transactio prohibita non est. Loquimur de actione ipsa criminali, utrum nempe concessum sit per transactionem aliquid pretio æstimabili concedere alicui ut desistat ab accusatione promovenda. Jus civile concedit id fieri posse cum agitur de crimine capitali; quia licet cuique sanguinem suum quoquomodo redimere, non licere autem in aliis inferioribus criminibus, ne scilicet facile impunita remaneant, licere tamen in crimine falsi, ob gravem infamiam quæ incurritur, quæ mortem civilem parit. Conferri potest *L. 18. C. h. t.* Canonistæ vero dissentiunt. Verum spernenda eorum sententia non est, qui juri civili adhærent. Et ratio est quia ex una parte dantur crimina in jure canonico quæ maximas pœnas secumferunt, ita ut brachio sæculari debeat tradi reus puniendus; et ex altera parte Ecclesia mater benigna est, quæque magis rigida non est potestate civili, nec positive reprobavit lex ecclesiastica dispositionem juris Cæsarei. Restrictio autem mihi faciendâ esse videtur quoad materiam in qua urget fideles obligatio

denunciandi delinquentes: transactio enim secumferret infractionem legis ecclesiasticæ.

13. De transactione in beneficiis ecclesiasticis et aliis rebus spiritualibus. — Quæstio ab auctoribus proponitur utrum beneficium ecclesiasticum possit esse objectum transactionis. Responsio datur in *c. 7. h. t.* ubi reprobatur transactio super re sacra si fiat intuitu et interventu rei temporalis; labe enim simoniæ inficitur hæc transactio. Immo in genere reprobatur transactio in beneficiis vel pensionibus ex causa permutationis, quæ fiat auctoritate privata absque probatione superioris. Ob periculum enim simoniæ transactiones hujusmodi prohibentur *c. 5. de Rer. permut.* Sub prohibitione vero *c. 7. h. t.* non comprehenditur transactio, in qua spirituale pro spirituali conceditur vel remittitur. Ex gr. si ad dirimendas quæstiones super jure decimarum sacramentalium una pars litigans reciperet jus decimandi et simul alter litigans adsumeret onus administrandi sacramenta; hæc transactio prohibita non esset: nam jus spirituale cum onere spirituali concurreret. Spiritualia autem ad invicem possunt permutari *c. 6. de Rer. permut.* Hæc autem transactio si fiat a privatis personis absque auctoritate superioris, successores non ligat. Nemo enim potest successoris in officio pejorem conditionem reddere. Ex principiis vero expositis in titulo *De Renunciat.* facile intelligitur transactionem fieri non posse supra titulo ipso beneficii ita ut nempe qui beneficium possidet proprio Marte alteri illud tribuat. Quæ transactio etiam amicabiliter et gratuito facta regularis et legitima non esset. Nam tum collatio, tum renunciatio beneficii ecclesiastici fieri debet cum auctoritate Superioris.

14. Fierine potest transactio super jurisdictione et relativa subjectione? Valet eadem responsio ac in præcedenti; ut nempe datum vel remissum pro jurisdictione non sit temporale; secus ob maculam simoniæ nulla est transactio *c. 10. h. t.* Quare exorta quæstio circa jurisdictionem ac relativam subjectionem non potest componi inter partes et remitti obligatio subjectionis sub conditione et pacto ut persona vel locus eximendus a jurisdictione solvat annum canonem. At canon hic a jure prohibitus non est confundendus cum censu qui solvitur ab ecclesiis in recognitionem jurisdictionis Episcopi vel dignitatis et primatiæ Ecclesiæ matricis, de quo in *c. 2. de Censibus*. Nam canon prohibitus in *c. 10. h. t.* tenet locum compensationis seu cujusdam pretii pro concessa exemptione;

census de quo in *c. 2. de Censib.* nihil aliud est quam signum demonstrativum subjectionis vel matricitatis. Hinc communiter in exigua præstatione consistit, ita ut appareat clare, non fieri compensationem inter jus spirituale et rem pretio æstimabilem. — Quod de juribus spiritualibus, nempe de jurisdictione diximus, applicandum etiam est rebus illis seu juribus quæ spiritualibus annexa sunt. Hinc ex. gr. transactio in jure patronatus non valet si retineatur vel remittatur aliquid temporale et pretio comparabile in relatione ad jus patronatus *c. 10. h. t.*

15. De effectibus transactionis. — Omnes effectus transactionis sub unico effectu tanquam sub proprio principio et fonte continentur, qui effectus est ut finis quæstioni imponatur *c. 1. h. t.* et *L. 20. C. h. t.* Quare si una ex partibus transigentibus quæstionem sopitam iterum excitare conetur, etiam sub prætextu novi instrumenti reperti, repellitur exceptione litis finitæ *c. 1. de Litis contest. in 6. et LL. 17. et 19. C. h. t.* Omnia enim probationum capita quæ pro contententium juribus militabant, per transactionem censentur viribus destitui, ita ut servari debeat solummodo pactorum seu transactionis pagina *c. 1. h. t.*

16. At transactio poteritne rescindi? Porro rescissio transactionis importat, ut res in pristinum restituantur, idest restituantur in eum statum in quo erant ante transactionem. Hinc reviviscunt rationes, jura et instrumenta quæ pro partibus transigentibus militabant ante transactionem, et per transactionem fuerunt viribus expoliata. Hisce positis, quisque videt, posse 1º loco transactionem rescindi et resolvi per mutuam contrariam partium conventionem ex notissima *Reg. 1. Jur. in decr. Greg.* 'omnis res per quascumque causas nascitur, potest dissolvi'. 2º. Rescinditur si fuerit dolo aut fraude inita transactio *LL. 2. et seqq. de dolo malo Cod.* aut metu gravi extorta *c. 13. h. t.* — 3º. Rescinditur si appareat fuisse initam ex falsa causa, et falsis documentis ab alterutra parte bona fide propositis *L. 42. C. h. t.* Res enim incidit in eum statum, a quo incipere non poterat.

Quid vero si una pars non observet ea quæ in transactione spondit? Remittitur arbitrio alterius partis ut, implorato judicis officio, urgeat observantiam transactionis vel, si velit, a transactione resiliat.

17. Quæstio non parvi momenti diversaque cum opinionum varietate agitatur ab auctoribus, utrum locus sit rescindendæ trans-

actioni ob læsionem ultra dimidium? Non loquimur de personis, quæ in jure habent privilegium seu remedium extraordinarium restitutionis in integrum, quæ sunt pupillus, minor, Ecclesia. Hisce enim personis conceditur hujusmodi remedium ad rescindendam transactionem ob læsionem gravem *L. 1. C. si advers. transac. et communiter Doctores tenent cum Gloss. in c. 6. de Empt. et Vendit. v. restituerent.* Pariter non loquimur de læsione inducta ex fraude aut ex dolo, sed de transactione læsiva bona fide inita. Uno verbo quærimus: utrum transactioni læsivæ applicari possit dispositio *L. 2. C. de rescind. vendit.* Sciendum enim est ex lege cit. læsionem enormem id operari ut venditor læsus ultra medietatem, qui nempe nec recepit mediam partem justii pretii rei venditæ, possit cogere emptorem, vel ad integrum pretium solvendum, vel ad restituendam rem venditam, rescindendo venditionis contractum. Quærunto ergo DD., an transactio regi debeat eodem jure. Si quæstio esset definienda ex legibus civilibus, forsitan ob legum varietatem suspensa et dubia remaneret; at inspecta quæstione juxta æquitatem canonicam, quæ naturalem æquitatem sequitur, solvenda videtur cum Abbate in *c. 6. de Empt. et Vend. nn. 7. et 8.* et aliis in sensu affirmativo, ut scilicet læsus ultra dimidium possit cogere lædentem vel ad congruam compensationem læsionis vel ad rescindendam transactionem. Agitur enim de contractu oneroso et bilaterali, in quo ferenda non est læsio non solum enormissima, scilicet ultra binas tertias partes justii pretii, sed neque enormis, ultra dimidium. At in computatione læsionis non est considerandum jus transigentis in se inspectum, seu verus valor juris et pretium rei traditæ aut receptæ, sed est inspiciendus valor juris controversi prout erat in quæstione sub dubio et timore incerti exitus litis. Hæc computatio facienda est arbitrio boni viri, omnibus inspectis circumstantiis. At fatemur id admodum in facto difficile esse, ac proinde difficilem esse casum rescindendæ transactionis ex capite læsionis enormis. Ita *Reiffenstuel h. t. n. 59.*

#### TITULUS XXXVII.

#### De Postulando.

1. Postulare ex *L. 1. ff. h. t. § 2.* nihil aliud significat quam 'exponere desiderium suum vel amici sui in jure apud eum, qui